



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Ex Biblioth. Belgica Valeri Andreae I. C.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

EX BIBLIOTH. BELGICA
VALERIANDREÆ I. C.

HENRICUS CANISIUS, Noviomagus, Petri Canisii S. I. è fratre nepos, juvenis Lovan-
nii Jura didicit, usus præceptore Petro Pecquio, aliisque. Post J. V. Doctor, & SS. Ca-
nonum in Academia Ingolstadtensi apud Bavaros Antecessor perpetuus fuit, Vir
præter exactam Juris scientiam, melioris litteraturæ & elegantiz studiosus, cui il-
lud in primis curæ semper fuit, ut ex ipsis statim fontibus depromptam, id est verè puram, sim-
plicem, integramque Jurisprudentiam traderet, & non aliis quàm suis depictam coloribus.
Qualis mirum Canisii vita, talis & doctrina erat. Vnde passim in Scriptis illius eluce: per-
spicuitas doctrinæ, proba rerum dispositio, eruditio multa, maturum judicium, Scipsit.

Summam Juris Canonici, in libb. IV. Institutionum contractam.

Commentarium in Regulas Juris, è lib. VI. Decretalium; cum Appendice *De differentiis Juris
Canonici & Civilis*. Sæpius simul edita. Ingolstadii, Antwerp. Duaci, in 8.

Commentarium in Rubric. lib. VI. Decretalium. Additis Luitprandi, aliorumque opusculis. In-
golstadii, 1600.

Praelectiones Academicas in Tit. duos singulares Juris Canonici, I. *De Decimis, Primitiis & Obla-
tionibus*. II. *De usuru*. Ingolst. 1609. 8.

In librum III. Decretalium, seu Titulos illius celebriores. Spiræ, 1615. 8.

De Sponsalibus & matrimonio, in lib. IV. Decretalium. Ingolst. 1613. 8.

Refutationem trium Tractat. De Iudice causarum Matrimonialium: quos Heydelbergæ quidam
J. C. sub nomine Marculii de Padua & Guiselmi Occam. an. 1598. edidit. Ibid. 1599. 4.

*Historiam miscellam Pauli Diaconi, à Landulpho Sagaci ad imperium Leonis IV. productam,
Notis illustravit*. Ibid. 1603. 8.

Postremò edidit Tomo VI. *Antique Lektionis*, in quibus exhibet varia Scriptorum prisco-
rum monumenta, ad historiam mediæ ætatis illustrandam, numquam antea vulgata, plera-
que cum Notis Canisii.

Tomo I. typis editus est Ingolstadii 1601. 4. in quo præter cetera continentur: *Flacci Al-
cuiini Epistola*: *Tironis Prosperi Chronicon*, vulgato ac Pithæano auctius: *VV. eingartensis de Guelfis Prin-
cipibus*, cum ejusdem *Chronico* ad an. 1197. *Annales Henrici Steroni*: *Annales Eberhardi Altassensis*, à
Rudolpho Habsburgio ad an. 1305. *Sangallensis de gestis Caroli Magni* lib. II. *Hermanni Contracti
Chronicon* auctius: *Concilia Salisburgensia tria, & Viennense unum*: *Poëmata S. Columbanii, Salomonis,
Episc. Constantiensis, VV. Valdrammis, & Quirinalia Metelli Tegernseensis*. Omnia cum Notis Canisii.

Tomo II. an. 1602. 4. vulgato continentur, *Vita S. Emerani per Meginfredum & Arnolfum,
Monachum S. Emerani*: *S. Lamberti. per Zvavo uov*: *Gesta Episcoporum Salisburgensium*, auctore S. E-
berhardo: *Vita Ottonis Suevi Comitis & Episc. Bambergensis*, auct. incerto: *Vita S. Erminoldi,
Abbatis Lorfacensis*: *Vita S. Guntheri Turingii*: *Collectio Historica Chronographica ex Idacio & aliis,
Item alia Collectio ex Toromacho & aliis. Menologium Græcorum* interprete Card. Sirleto.

Tomo III. an. 1603. 4. S. *Gregorii Thaumaturgi Anathematismi*, Græcolat. *Hippolyti Thebani
Chronicon*, Græcolat. *Anastasius Sinaita de Synaxi*, & in Psalmum VI. *Anastasius Abbas contra Iudaos:
Francicorum Annalium Fragmentum*, ab an. 793. *Egidius Carlerius*, Decanus Camerac. ad articulum
Bohemo-

Bohemorum, De corrigendis peccatis publicis: Disputatio Capituli Ecclesie Pragensis cum Rockyzana, de Husiticis Controversiis, & alia, pleraque cum Notis Canisii.

Tomo IV. an. 1603. in sunt: Leontius Byzantius, contra Euthychianos, Nestorianos, Enantiodocetas, Apollinaristas, &c. S. Damascenus contra Acephalos, & Nestorianos: Collectanea incerti contra Severianos: Nicephori opuscula varia: Theodori Hagiopolitani Disputationes III. Omnia interprete Franc. Turriano. Henricus Kalteiser De libera Pradicatione Verbi Dei: Ioan. de Polemor contra IV. Articulum Bohemorum, De civili dominio Clericorum: Vita S. Bonifacii per V. Villibaldum & Othlonum Fuldensem: Vita S. V. Villibaldi, ejusque fratris V. Vuribaldi: item S. Sola per Ermenoldum scripta: Vita S. V. Valpurgæ, Virginis, per Philippum Episc. Eistetensem & V. Volfhardum Hansenrietanum: Vita S. S. Kiliani Episc. Wirtsburgenfis, Karolomanni, & Totuani Martyrum: item S. Burchardi Wirtzburg. Episcopi? Itinerarium S. V. Villibaldi duplex, &c.

Tomo V. comprehenduntur Scriptores varii contra Manicheos: Halitcharii De Vitiis, Virtutibus & ordine Penitentium, libri V. Penitentiale ejusdem: Adelmus De Virginitate, Deque VIII. vitis principalibus, metro. Alcuini Grammatica, Dialectica &c. Genealogia Caroli Magni Guntheri Historia Constantinopolitana: Guil. de Bandelsel Hodæporicon ad Terram Sanctam.

Tomo VI. Barlaami Episc. Epistole: S. Anselmi, Episc. Lucensis, contra Guibertum Antipapam libri II. Burchardi de Monte Sion Descriptio Terra sanctæ: Vita S. V. Villibrordi per Alcuinum, carmine: Vita S. Henrici Imp. Officium de Canolo Magno: Martyrologium Rabani & Noikeri Balbuli: Catalogus Salisburgensium &c.

AD CL. V.

D. HENRICVM CANISIVM

SS. CANONUM IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI, DUM VIXIT, PROF.
Ordinarium & primarium.

LIBRORUM, NON LIBERORUM, PARENTEM.

HENRICUM generis CANISTORUM
Fax, semper Paphiâ procul pharetrâ,
Numquam Cypride vulneratus arcu,
Numquam lampade languidis Diones;
Lauro, lampade, laude virginali
Clarus, ingenii feracioris
Quam prolis. Quia liberis vacavit
Nullis, hoc numerosiore fœtu
Fœtâ Pallade præcreavit artes.
Nec vincus face matrimoniali
Liber liberiùs libros polivit,
Libros pumicis elegantioris
Morsu, dentibus eruditioris
Limæque ingenii que levigatos.
Qui numquam Stygia obruantur unda,

Æter-

Aeternum ast volitent virum per ora:
In quos nil Libitina sava juris,
Iuris nil Veneris vorax maritus,
Iuris nilque teredines habebunt.
Quisquam adhuc sterilem putet Minervam?
Expers sit licet illa Liberorum,
Est fecundior attamen Librorum.
Enitens quoque posthumos patenti.

C E N S U R Æ.

Commentarius in librum tertium Decretalium HENRICI CANISI, Noviomagii, in hac Ingolstadiensi Academia olim SS. Canonum Professoris, & in eruditissimi ante hac in lucem editus, quia nihil bonis moribus & orthodoxæ fidei adversum coniacet, plurimisque ad insignem eruditionem profuturus speratur, jure merito de novo in lucem prodit.

GUIL. LUDOVICUS BENTZ. SS. Theol. Doctor ejusdemque Prof. Ordinarius,
Facultatis Theologicae pro tempore Decanus.

Tractatus hos in Titulis de Decimis, Primitiis & Oblationibus, item de Usuris, à Clarissimo J. U. Doctore, & in Academia Ingolstadiana publico Professore, D. HENRICO CANISIO compositos, quae porui diligentiam legi. In iis nihil, quod aut bonis moribus, aut fidei orthodoxæ sit adversum, adverti. Opus certe clarissimo auctore dignissimum judico, in quo quid maximè excellat vix video, perspicuitas doctrinae, dispositio rerum, eruditio multa, an maturum judicium? omnia inter se pari contentione certantia. Ergò publico bono typis excusum, potest & debet in lucem abire.

STEPHANUS VITUS è Societ. Jesu S. Theologiae Professor Ordinarius, & Collegii Theologici pro tempore Decanus.

SUMMA hæc JURIS CANONICI ab auctore suo D. HENRICO CANISIO, qui vigesimum jam annum in hac Ingolstadiensi Academia sacros Canones summam omnium approbatione interpretatur, nunc tertio recognita, & variis accessionibus locupletata, jure optimo in lucem prodit; quia nil aut fidei aut bonis moribus contrarium continet, sed Juris Pontificii Studiosos via planâ & facili ad sacrorum Canonum adyta ducit.

JACOBUS GRETSEUS Societ. Jesu, SS. Theol. Doctor, Professor, & Collegii Theologici pro tempore Decanus.

Commentarium Cl. D. JOANNIS WIRINGI in librum quintum Decretalium legi: in quo nihil adverti quod Orthodoxæ fidei, aut Christianis moribus adversetur: & eruditum ac prælo dignum censeo. Dat. Lovanii die 29, Octob. 1648.

JACOBUS PONTANUS, S. Th. Doctor & Professor, ac Librorum Censor in Academia Lovaniensi.

C E N S U R A O R D I N A R I I.

HENRICI CANISI opera quæ de Jure Canonico reliquit, diversis typis & locis edita, etiam Colonia à JOANNE BUSÆO Bibliopola, utiliter imprimuntur. Colonia die 1. Augusti 1662.

FERDINANDUS STROBELIUS S. Theol. Doctor Canonicus Metropolis.
Librorum Censor.